

SECVNDVS.

**N**on dubito, quin mirere, atq; etiã stomacheã  
 re, quod tecum de eadem re agam sæpius.  
 Hominis familiarissimi, & mihi omnibus rebus con  
 iunctissimi permagna res agitur Attici. Cognouĩ  
 ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum. Mul  
 tum potes nos apud Plancum iuuare. Noui humani  
 tatem tuam, scio quã sis amicis iucundus. Nemo  
 nos in hac causã plus iuuare potest, quam tu. Ee  
 res ista est firma, ut debet esse, quam Coss. de consi  
 lij sententia decreuerunt, cũ & lege, & S.C. cogno  
 scerent: tamen omnia posita putamus in Planci tui  
 liberalitate. Quem quidem arbitramur cũ officij  
 tui, & Reip. causã decretum Coss. cõprobaturum,  
 tum libenter nostra causã esse facturum. Adiuuas  
 bis igitur mi Capito. Quod ut facias, uehementer  
 etiam atq; etiam rogo. Vale.

LIBER III. EPIST.

SER. SVLPICIVS M.T.C. S.

Famil. lib. 4. Epist. 5.

**P**osteaquam mihi renũtatum est de obitu Tul  
 liæ filie tuæ, sanẽ quã pro eo, ac debui graui  
 ter, molesteq; tuli, communemq; eam calamitatem  
 existimavi: qui si istic affuissem, neq; tibi defuissem,  
 toramq; meũ dolorem declarassem. Et si genus hoc  
 consolationis miserum atq; acerbum est, propterea  
 tua quia per quos confieri debet propinquos ac  
 familias



L I B E R

familiares, ipsi pari molestia afficiuntur: neq; sine lacrymis multis id conari queunt: ut magis ipsi uideantur aliorum consolatione indigere, quam alijs posse suum officiũ præstare: tamẽ quæ in præsentia mihi in mentẽ uenerunt decreui breui ad te per scribere, non quòd ea te fugere existimem, sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias. Quid est, quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? Cogita quemadmodum adhuc fortuna nobis scum egerit, ea nobis erepta esse, quæ hominibus nõ minus, quàm liberi cara esse debent, patriam, honestatem, dignitatẽ, honores omneis: hoc uno incõmodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atq; omnia minoris aestimare? An illius uicem credo, doles? Quoties in eam cogitationem necesse est, ut tu ueneris, ut nos sæpẽ incidimus, hisce tẽõribus non pessimẽ cum ijs esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum uita cõmutare. Quid aut fuit, quod illam hoc tempore ad uiuendum magnoperẽ inuitare posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? Vt cũ aliquo adolescente primario coniuncta etatẽ ageret? Licitũ est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac iuuentute generum deligere, ceterius fidei liberos tuos, te tutò cõmittere putares. An ut ea liberos ex sese pareret, quos cũ florenteis uideret, letaretur? qui rẽ à parente traditã per se tenere



TERTIVS

tenere possent? honores ordinatim in Rep. petitiuri  
 essent? in amicorum negotijs liberalitate sua uterentur?  
 Quid horum fuit, quod non prius, quā datum,  
 ademptum sit? At uerò malum est liberos amittere:  
 Malum, nisi hoc peius sit, hæc sufferre, & perpeti.  
 Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit:  
 uolo tibi cōmemorare, si forte eadem res tibi minuerere  
 dolorem possit. Ex Asia rediens cum ab Aegina  
 Megaram uersus nauigarem, cœpi regiones circum  
 circa prospicere: post me erat Aegina, ante Me-  
 gara, dextra Piræus, sinistra Corinthus: quæ oppi-  
 da quodā tempore florentissima fuerunt, nunc pro-  
 strata, & diruta ante oculos iacent. Cœpi egomet  
 mecum sic cogitare. hem nos homunculi indignamur,  
 si quis nostrum interijt, aut occisus est, quorum uita  
 breuior esse debet, cum uno loco tot oppidum ca-  
 dauera proiecta iaceant? uis ne tu te Serui cohibe-  
 re & meminisse hominē te esse natum? Crede mihi,  
 cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus.  
 Hoc idem, si tibi uidetur, fac ante oculos tibi pro-  
 ponas. modò uno tempore tot uiri clariss. interie-  
 runt: de imperio præterea tâta diminutio facta est:  
 omnes prouinciæ cōquassatæ sunt, in unius mulier-  
 culæ animula si iactura facta sit tantoperè commo-  
 ueris? Quæ si hoc tempore non suū diem obiisset,  
 paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quonia-  
 am homo nata fuerat. Etiā tu ab hisce rebus animā

E ad cogla



L I B E R

ad cogitationem tuam auoca: atq; ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt, illam, quamdiu ei opus fuerat, uixisse, unâ cū Rep. fuisse: te patrem suum Prætozem, Consulem, Augurem uidisse, adolescentibus primarijs nuptam fuisse, omnibus bonis prope perfundtam esse, cum Respub. occideret uita excessisse. Quid est quod tu, aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? Deniq; noli te obliuisci Ciceronem esse, & eum, qui alijs consueueris præcipere, et dare consiliū: nec imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicine scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius, quæ alijs tute præcipere soles, ea tute tibi subijce, atq; apud animum propone: **NVLIVS DOLOR EST, QVEM NON LONGINQVITAS TEMPO- RIS MINVAT** atq; molliat. Hoc te expectare tempus tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Quòd si quis etiam inferis sensus est, qui illius amor in te fuit, pietasq; in omnes suos, hoc certè illa te facere non uult. Da hoc illi mortuæ, da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore moerent: da patriæ, ut si qua in re opus sit, opera et consiliò tuo uti possit. Deniq; quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiam huic rei nobis seruiendum sit, noli committere, ut quisquam te putet, nò tam filiam, quàm Reip. tempora, & aliorum uictoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pu-  
det, ne



TERTIVS

det, ne uidear prudentiæ tuæ diffidere. Quare si hoc unum proposuero, sinem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnamq; ex ea re te laudem apisci: fac aliquando intelligamus, aduersam quoque te æquè ferre posse: neq; id maius, quàm debeat, tibi onus uideri, ne ex omnibus uirtutibus hæc unà tibi uideatur deesse. Quod ad me attinet, cum te tranquillore animo esse cognouero, de ijs rebus quæ hic geruntur, quemadmodumq; se prouincia habeat, certiore faciam. Vale.

M. T. C. SER. SVLPICIO S. D. 4. 6.

**E**go uerò Serui uellem, ut scribis, in meo grauissimo casu affuisses. Quantum enim præsens me adiuuare potueris, & consolando, & propè æquè dolendo, facile ex eo intelligo, quod litteris tuis lectis, aliquantulū acquieui. Nam & ea scripsisti, quæ leuare luctū possent, & in me consolando, non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Seruius tamē tuas omnibus officijs, quæ illi temporè tribui potuerunt, declarauit, & quanti ipse me faceret, & quam suū talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cuius officia iucundiora scilicet sæpe mihi fuerunt, nunquā tamen gratiora. Me autem non oratio tua solum et societas penè ægritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpè enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu



L I B E R

tali sapientia præditus ferendum putas. Sed opprē-  
 mor interdum, & uix resisto dolori, quòd eamē so-  
 latia deficiunt, quæ ceteris, quorum mihi exempla  
 propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam &  
 Q. Maximus, qui filium consularem clarū uirum, &  
 magnis rebus gestis amisit, & L. Paullus, qui duos  
 septē diebus, & uester Gallus, & M. Cato, qui sum-  
 mo ingenio, summa uirtute filium perdidit, ijs tem-  
 poribus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum digni-  
 tas consolaretur ea, quam ex Rep. consequabantur:  
 mihi autē amissis ornamentis ijs, quæ ipse commemo-  
 ras, quæq; eram maximis laboribus adeptus, unū ma-  
 nebat illud solatium, quod ereptum est. Non amico-  
 rum negotijs, non Reip. procuratione impediēban-  
 tur cogitationes meæ. Nihil in foro agere licebat:  
 aspiciere curiam non poteram, existimabam id quod  
 erat, omneis me & industriæ meæ fructus & fora-  
 tunc perdidisse. Sed cū cogitarem, hæc mihi tecum  
 & cū quibusdam esse communia, & cum frangerē-  
 iam ipse me, cogereq; illa ferre toleranter, habe-  
 bam quo confugerem, ubi conquiescerem, cuius in  
 sermone, & suauitate omneis curas doloresq; de-  
 ponerem. Nunc autem hoc tam graui uulnere, etiā  
 illa, quæ cōsenuisse uidebantur, recrudescent. Non  
 enim, ut tum me à Rep. moestum domus excipiebat,  
 quæ leuaret: sic nunc domo moerens ad Remp. con-  
 fugere possum, ut in eius bonis acquiescam. Itaq; et  
 domo



domo absum, & foro, quod nec cum dolore, quem à Rep. capio, domus iam consolari potest, nec domesticum Resp. Quo magis te exopto, teq; uidere q̄ primum cupio. Maior mihi leuatio afferi nulla potest, quam coniunctio consuetudinis, sermonumq; nostrorum. Quanquam sperabam tuum aduentum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cum multis de causis te exopto quim primum uidere: tum etiam ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendū sit hoc tempus, quod est totum ad unius uoluntatem accommodandum, & prudentis, & liberalis, & (ut perspexisse mihi uideor) nec à me alieni, et tibi amicissimi. Quod cū ita sit, magnæ tamen est deliberationis, que ratio sit ineunda nobis non agendi aliquid, sed illius concessu, & beneficio quiescendi. Vale.

M. T. C. L. LVCCEIO Q FILIO S. D. 5. 12.

**C**oram me tecū eadem hæc agere sæpe conatū tem deteruit pudor quidā penè subrusticus, que nūc exproam absens audacius. Epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neq; ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis. Quod etsi mihi sæpe ostendis te esse facturum, tamē ignoscas uelim huic festinationi meæ. Genus enim scriptoriū tuorum etsi erat semper à me uehementer expectatum, tamen uicit opinionē meam, meq; ita uel cepit,



LIBER

uel incendit, ut cuperē quā celerrimē res nostras  
 monumentis commendari tuis. Non enim me solum  
 commemoratio posteritatis ad spem quandam im-  
 mortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut uel  
 auctoritate testimonij tui, uel indicio beneuolētiae,  
 uel suauitate ingenij uiui perfruamur. Neq; tamen  
 hęc cum scribebam, eram nescius, quantis oneri-  
 bus premerēre susceptarum rerum, & iam institu-  
 tarū: sed quia uidebam Italici belli, & ciuilibis histo-  
 riam iam penē à te esse perfectam: dixeras autē mihi  
 te reliquas res ordiri: deesse mihi nolui, quin te ad-  
 monerem, ut cogitares coniunctē ne malles cum ce-  
 teris rebus nostra contexere, an, ut multi Græci fe-  
 cerunt, Calisthenes Troicum bellum, Timeus Pyre-  
 rhi, Polybius Numantinum, qui omnes à perpetuis  
 suis historijs ea quę dixi bella, separauerunt, tu quo-  
 que item ciuilem coniurationem ab hostilibus ex-  
 ternisq; bellis seiungeres. Equidem ad nostram lau-  
 dem non multum uideo interesse, sed ad prospera-  
 tionem meam quiddam interest, non te expectare,  
 dum ad locum uenias, at statim causam illam totā,  
 & tempus arripere. Et simul si uno in argumento,  
 unaque in persona mens tua tota uersabitur, cerno  
 iam animo, quantō omnia uberiora, atq; ornatiora  
 futura sint. Neq; tamen ignoro, quā impudenter  
 faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam  
 (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde  
 etiam,



TER TIVS.

etiam, ut ornes me postulem . quid si illa tibi non  
 tantoperè uidetur ornanda? SED TAMEN QVI  
 SEMEL uerecundia sineis transierit, eum bene, et  
 nauiter oportet esse impudentem. Itaq; te planè eti  
 am atq; etiam rogo, ut & ornes ea uehementius eti  
 am quam fortasse sentis, & in eo leges historiae ne  
 gligas, gratiamq; illam, de qua suauissimè quodam  
 in proœmio scripsisti: à qua te affici non magis po  
 tuisse demonstras, quam Herculem Xenophonteiu  
 illum à uoluptate: ea si me tibi uehementius cōmen  
 dabit, ne aspernere, amoriq; nostro plusculū etiam,  
 quàm concedit ueritas, largiari. Quod si te addu  
 cemus, ut hoc suscipias, erit (ut mihi persuadeo) ma  
 teries digna facultate, & copia tua. A principio  
 enim coniurationis usq; ad reditum nostrum uide  
 tur mihi modicum quoddam corpus confici posse:  
 in quo & illa poteris uti ciuiliū commutationū  
 scientia, uel in explicandis causis rerum nouarum,  
 uel in remedijs incommodorum, cum & reprehē  
 des ea, quæ uituperanda duces, & quæ placebunt  
 exponendis rationibus comprobabis. & si liberius,  
 ut consuesti, agēdum putabis, multorum in nos per  
 fidiam, insidias, proditionem notabis. Multam etiam  
 casus nostri tibi uarietatem in scribendo suppedi  
 tabunt plenā cuiusdam uoluptatis, quæ uehementer  
 animos hominum in legendo scripto retinere pos  
 sit. NIHIL est enim aptius ad delectationem



LIBER

lectoris, quàm temporum uarietates, fortunæq; uicissitudines: quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fueruent, in legendo tamen erunt iucundæ. HABET enim præteriti doloris secura recordatio delectationem. Ceteris uera nulla perfunctis propria molestia, casus alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. Quom enim nostrum, ille moriens apud Mantineam EPAMINONDAS non cum quadam miseratione delectat? qui tum deniq; sibi auelli iubet spiculum, posteaquam ei percontanti dictum est, clypeum esse saluum: ut etiam in uulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Cuius studium in legendo non erit etiam Themistoclis fuga, redituq; retinetur? Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum: at uiri sæpe excellentis accipite; uarijque casus habent admirationem, expectationem, letitiam, molestiam; spem, timorem: si uero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissime lectionis uoluptate. Quod mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiã complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum euentorumq; nostrorum. Habet enim uarios actus, multasq; actiones, & consiliorum & temporum. Ac non uereor ne assentatiuncula, quadam aucupari tuam gratiam uidear, cum hoc demonstram



TERTIVS.

demonstrem, me à te potissimū ornari celebrariq;  
 uelle. Neq; enim tu is es, qui, quid sis nescias, & qui  
 non eos magis, qui te non admirentur, inuidos, quàm  
 eos, qui laudent assentatores arbitrêre. Neq; autem  
 ego sum ita demens, ut me sempiternæ gloriæ per  
 eum commendari uelim, qui non ipse quoq; in me  
 commendando propriam ingenij gloriam consequa  
 tur. Neq; enim Alexander ille gratiæ causa ab A=  
 pelie potissimum pingi, & à Lysippo fingi uole=  
 bat: sed quod illorum artem cum ipsis, tum etiam si  
 bi gloriæ fore putabat. Atq; illi artifices corporis  
 simulachra ignotis nota faciebant, quæ uel si nulla  
 sint, nihilo sunt tamen obscuriores clari uiri. Nec  
 minus enim est Spartiates ille Agesilaus perhiben=  
 dus, qui neq; pictam neque fictam imaginem suam  
 passus est esse, quam qui in eo genere laborarunt.  
 Vnus enim Xenophontis libellus in eo rege laudan  
 do facile omneis imagines omniū statuasq; supera=  
 uit. Atq; hoc præstantius mihi fuerit, & ad letiti  
 am animi, & ad memoriæ dignitatem, si in tua scri  
 pta peruenero, quàm si in ceterorum, quod non in  
 genium mihi solum suppeditatum fuerit tuū, sicut  
 Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themistocli  
 sed etiā auctoritas clarissimi, & spectatissimi uiri,  
 & in Rep. maximis grauissimisq; causis cogniti at  
 q; in primis probati: ut mihi non solum præconiū,  
 quod cū in Sigeum uenisset Alexander ab Homero



L I B E R

dixit, sed etiam graue testimonium impertitum clari hominis, magniq; uideatur. Placet enim Hector ille mihi Næuianus, qui non tantum laudari se letatur, sed addit etiam, a laudato uiro. Quod si à te nõ impetro, hoc est, si quate res impedierit (neq; enim fas esse arbitror, quicquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt, scribam ipse de me, multorum tamen exemplo, & clarorum uirorum. Sed quod te non fugit, hæc sunt in hoc genere uitia, et uerecundius ipsi de sese scribant, necesse est, si quid est laudandum: et prætereant, si quid forte reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi deniq; reprehendant, & dicant, uerecundiores esse præcones ludorum Gymnicorum, qui cum ceteris coronas imposuerunt uictoribus, eorumq; nomina magna uoce pronütiauerunt, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne sua uoce ipsi se uictores esse prædicent. Hæc nos uitare cupimus, et si recipis causam nostram, uitabimus. Idq; ut facias rogamus. Ac ne forte mirère, cur, cum mihi sæpe ostenderis te accuratissime nostrorum temporum consilia, atq; euentus literis mandaturũ, à te id nũc tantopere, & tam multis uerbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quòd alacres animo sumus, ut & ceteri uiuentibus



TERTIVS.

tibus nobis ex libris tuis nos cognoscant, et nos me  
 ipsi uiui gloriola nostra perfruamur. His de rebus,  
 quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas  
 mihi uelim. Si enim suscipis causam, conficiam com  
 mentarios rerum omnium: sin autem differs me in  
 tempus aliud, coram tecum loquar. Tu interea non  
 cessabis, & ea quæ habes instituta, perpolies, nosq;  
 diliges. Vale.

M. T. C. T. P. ATTICO. S. 8. 3.

**M**aximis, & miserrimis rebus perturbatus,  
 cum coram tecum mihi potestas deliberan  
 di non esset, uti tamen tuo consilio uolui. Delibera  
 tio autem omnis hæc est: Si Pompeius Italia cedat  
 (quod eum facturum esse suspicor) quid mihi agen  
 dum putes. & quò facilius consilium dare possis,  
 quid in utranq; partem mihi in mentem ueniat, expli  
 cabo breui. Cum merita Pompeij summa erga salua  
 tem meam, familiaritasq; quæ mihi cum eo est, tum  
 ipsa Reip. causa me adducit, ut mihi uel consilium  
 meum cum illius consilio, uel fortuna coniungenda esse  
 uideatur. Accedit illud: si maneo, & illum comita  
 tum optimorum, et clarissimorum ciuium desero, caden  
 dum est in unius potestatem. Qui etsi multis rebus  
 significat, se nobis esse amicum, & ut esset, à me est  
 (tute scis) propter suspicionem huius impendentis  
 tempestatis multò ante prouisum: tamen utrunq; con  
 siderandum est, & quanta ei fides sit habenda, & si  
 maximè



L I B E R

maximè exploratum sit, cum nobis amicum fore  
 sit ne uiri fortis & boni ciuis, esse in ea urbe, in  
 qua cum summis honorib. imperijsq; usus sit, res ma  
 ximas gesserit. sacerdotio sit amplissimo præditus,  
 non futurus sit sui iuris, subeundumq; periculum  
 sit cum aliquo fortè dedecore, si quando Pompeius  
 Remp. recuperauerit. In hac parte hæc sunt. Vide  
 nunc, quæ sint in altera. Nihil actum est à Pompeio  
 nostro sapièter, nihil fortiter: adde etiam nihil, ni  
 si contra consilium auctoritatemq; meam. Omitto  
 illa uetera, quod istum in Remp. ille aluit, auxit, ar  
 mauit: ille legib. per uim & contra auspicia feren  
 dis auctor: ille Galliaë ulterioris adiunctor, ille gee  
 ner: ille in ad optādo P. Clodio augur: ille restituen  
 di mei, quàm retinendi studiosior: ille prouinciaë  
 propagator: ille absentis in omnibus adiutor. Idem  
 etiã tertio Consulatu, postquã esse defensor Reip.  
 cœpit, contendit, ut decem Tribuni pl. ferrent, ut  
 absentis ratio haberetur: quod idem ipse sanxit le  
 ge quadam sua, Marcoq; Marcello Cos. finienti pro  
 uincias Gallias Kal. Martij, restitit. Sed ut hæc omit  
 tam, quid foedius; quid perturbatius hoc ab urbe  
 discessu. siue potius turpissima fuga? Quæ conditio  
 non accipienda fuit potius, quàm relinquenda pa  
 tria? Malæ conditiones erant, fateor, sed nunquid  
 hoc peius? At recuperabit Remp. Quãdo? aut quid  
 ad eam spem est parati? Non ager Picenus amissus?

non



TERTIVS.

non patefactum iter ad urbem? nō pecunia omnis,  
 & publica, & priuata aduersario tradita? Deniq;  
 nulla caussa, nullæ uires, nulla sedes, quo cōcurrant,  
 qui Remp. defensam uelint. Apulia delecta est ina-  
 nißima pars Italiae, & ab impetu huius belli remo-  
 tißima: fuga & maritima opportunitas uisa quæri  
 desperatione. Inuitē cepi Capuam, non quo munus  
 illud defugerem, sed sine caussa, in qua nullus esset  
 ordinum, nullus apertus priuatorum dolor: hono-  
 rum autem esset aliquis sed hebes, ut solet, &, ut  
 ipse sensissem, multitudo & infimus quisq; propen-  
 sus in alteram partem. Multi mutationis rerum cu-  
 pidi. Dixi ipsi, me nihil suscepturum sine præsi-  
 dio, & sine pecunia. Itaq; habuit nihil omnino ne-  
 gotij, quod ab initio uidi, nihil quæri præter fugam.  
 eam si nunc sequor, quonam? cum illo non. ad quem  
 cum essem profectus, cognoui in ijs locis esse Cæsa-  
 rem, ut tutò Luceriam uenire non possem. In ferro  
 mari nobis incerto cursu hieme maxima nauigan-  
 dum est. Age iam, cum fratre, an sine? cum filio; an  
 quomodo? In utraq; enim re summa difficultas erit,  
 summus animi dolor. Qui autē impetus illius erit  
 in nos absentes, fortunasq; nostras? acrior quam in  
 ceterorum, quod putabit fortasse in nobis uiolans  
 dis aliquid se habere populare. Age iam, has com-  
 pedes, fasces inquam hos laureatos, efferre ex Ita-  
 lia quam molestum est? Qui autem locus erit nobis  
 tutus,



## LIBER

tutus, ut iam placatis utamur fluctibus, antequam  
ad illum uenerimus? Qua autem, aut quò, nihil scia-  
mus. At si restitero, & fuerit nobis in hac parte lo-  
cus, idem fecero, quod in Cinnæ dominatione, Phi-  
lippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius, quoquo-  
modo ea res huic quidem cecidit: qui tamen ita di-  
cere solebat, se id fore uidere, quod factum est: sed  
hoc malle, quam armatum ad patriæ mœnia accede-  
re. Aliter Thrasibulus, & fortasse melius: sed est  
certa quædã illa Mucij ratio, atq; sententia: est illa  
etiam Philippi. Et cum sit necesse seruire tempori,  
& non amittere tempus, cum sit datum sed in hoc  
ipso habent tamen ijdem fasces molestiam. Sit enim  
nobis amicus, quod incertũ est: sed sit, deferet tri-  
umphum. non accipere ne periculosum sit, an acci-  
pere inuidiosum ad bonos? O rem, inquis, difficilem,  
& inexplicabilem. atqui explicanda est. Qui enim  
fieri potest? ac ne me existimares ad manendũ esse  
propensiozem, quod plura in ea parte uerba fece-  
rim: potest fieri quod fit in multis quæstionibus, ut  
res uerbosior hæc fuerit, illa uerior. Quamobrem  
ut maxima de re æquo animo deliberanti, ita mihi  
des consilium uelim. Nauis & in Caieta est parata  
nobis, & Brundisij. Sed ecce nuntij scribẽte me hæc  
ipsa noctu in Caleno, ecce litteræ, Cæsarem ad Cor-  
finium, Domitium Corfinij cum firmo exercitu, &  
pugnare cupiente. Nõ puto etiam hoc Cn. nostrum  
commisissus



TERTIVS.

commissurum, ut Domitium relinquat: etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus praemiserat, legionem à Fausto conscriptam in Siciliam sibi placere à Coß. duci, scripserat ad Coß. Sed turpe Domitium erit deserere implorantem eius auxilium. est quaedam spes mihi quidem non magna, sed in his locis firma: Afraniū in Pyreneo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium: etiam Fabium tuum transisse cum cohortibus. Summum autem, Afranium cum magnis copijs aduentare. Id si est, in Italia fortasse manebitur. Ego autem, cum esset incertum iter Cæsaris, quod uel ad Capuam, uel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeiū misisti & litteras. Ipse ne quo inciderem, reuerti Formias. Hæc te scire uolui, scripsiq; sedatiore animo, quam proximè scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum. Vale.

CIC. DOLABELLAE COS. S.D. 9.14.

**E**tsi contētus eram mi Dolabella tua gloria, satisq; ex ea magnam letitiam, uoluptatemq; capiebam: tamen non possum nō confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod uulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conueni (conuenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi uiri, qui ualetudinis causa in hæc loca conueniāt, præterea ex municipijs frequentes necessarij mei) quin omnes, cum te summis laudibus ad



## LIBER

bus ad cælum extulerunt, mihi continuo maximas  
 gratias agant. Negant enim se dubitare, quin tu me  
 is præceptis & cōsilijs obtemperans, præstantissimū  
 te ciuem, & singularem Cos. præbeas. Quibus  
 ego, quanquam uerissimè possum respondere, te,  
 quæ facias, tuo iudicio & tua sponte facere, nec  
 cuiusquam egere consilio: tamen neq; planè assena-  
 tior, ne imminuam laudem tuam, si omnis à meis con-  
 silijs profecta uideatur: neq; ualde nego. Sum enim  
 auidior, etiam quam satis est, gloriæ: est tamen non  
 alienum à dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni re-  
 gi regum fuit honestum habere aliquem in consilijs  
 capiundis Nestorem: mihi uerò gloriosum, te iuue-  
 nem Cos. florere laudibus, quasi alumnum discipli-  
 nae meae. L. quidem Cæsar, cū ad eum ægrotum Nea-  
 polim uenissem, quanquā erat oppressus totius cor-  
 poris doloribus, tamen ante quam me planè saluta-  
 uit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum  
 ualeas apud Dolabellam, quantum si ego apud so-  
 roris filium ualerem, iam salui esse possemus. Dola-  
 belle uerò tuo & gratulor, & gratias ago: quem  
 quidem post te Cōsulem, solum possumus uerè Con-  
 sulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re gesta,  
 tum nihil magnificentius, nihil præclarior actum  
 unquam, nihil Reip. salutarior: atq; hæc una uox o-  
 mnium est. A te autem peto, ut me hanc, quasi fal-  
 sam hereditatem alienæ gloriæ sinas cernere, meq;

aliqua



### TERTIVS.

aliqua ex parte in societatem tuarum laudum uenire  
 re patiare. Quanguam mi Dolabella (hæc enim iocatus  
 sum) libentius omneis meas, si modò sunt aliqua  
 quæ meæ laudes, ad te transfuderim, quam aliquam  
 partem exhauserim ex tuis: nam cum te semper tantum  
 dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his  
 tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in  
 amore fuerit ardentius. Nihil est enim (mibi crede)  
 uirtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius.  
 Semper amaui, ut scis Brutum, propter eius summum  
 ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem  
 atq; constantiam: tamen Idibus Mart. tantum  
 accessit ad amorem, ut mirarer, locum fuisse augendi  
 in eo, quod mihi iam pridem cumulatam etiam uidebatur.  
 Quis erat qui putaret ad eum amorem, quæ erga te  
 habebam, posse aliquid accedere? Tantum accessit,  
 ut mihi nunc deniq; amare uidear, antea dilexisset.  
 Quare quid est, quod ego te hortor, ut dignitati &  
 gloriæ seruias? Proponam tibi claros uiros, quod  
 facere solent, qui hortantur? Neminem habeo clariorem,  
 quàm te ipsum: te imitari oportet, tecum ipse  
 certes: nec licet quidem tibi iam tantis rebus  
 gestis, non tui similem esse. Quod cum ita sit,  
 hortatio non est necessaria, gratulatione magis  
 utendum est. Contigit enim tibi quod haud scio, an  
 meministi, ut summa seueritas animaduersionis non  
 modò non inuidiosa, sed etiam popularis esset, et cum



L I B E R

bonis omnibus, tum infimo cuiq; gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuæ: sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenij, atq; consilij. Legi enim concionem tuam nihil illa sapientius: ita pedetentim tum accessus à te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animaduertendi omnium consensu daret. Liberasti igitur & urbem periculo, & ciuitatem metu. Neq; solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum. Quo facto intelligere debes, in te positam esse Remp. tibiq; non modò tuendos, sed etiam ornandos illos viros, à quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura propediem, ut spero. tu quando Remp. nosq; conseruas, fac ut diligentissimè te ipsum, mi Dolabella, custodias. Vale.

M. T. C I C E R O B R V T O S. 3.

**N**ostræ res meliori loco uidebantur. Scripta enim ad te certò scio, quæ gesta sunt. quales tibi sæpe scripsi Consules, tales extiterunt. Cæsaris uerò pueri mirifica indoles uirtutis: utinam tam facile eum florentem & honoribus, & gratia regere, ac tenere possimus, quam facile adhuc tenuimus. Est omninò illud difficilius, sed tamen non diffidimus. Persuasum est enim adolescenti & maxime per me, eius opera nos esse saluos, et certè nisi is Antonium ab urbe auertisset, periissent omnia.

Triduo



TER TIVS.

Triduo uerò, aut quatruiduo ante hanc rem pulcher-  
 rimam, timore quodam percussa ciuitas tota ad te  
 se cum coniugibus, & liberis effundebat: eadem re  
 creata a. d. XII. Kal. Maij, te huc uenire, quàm se ad  
 te ire malebat: quo quidem die magnorum meorum  
 laborum, multarumq; uigiliarum fructum cepi ma-  
 ximum, si modò est aliquis fructus ex solida ueraq;  
 gloria. Nam tantæ multitudinis, quantã capit urbs  
 nostra concursus est ad me factus. ea cum usque in  
 Capitolium deductus, maximo clamore atq; plausu  
 in rostris collocatus sum. Nihil est in me inane: ne-  
 que enim debet: sed tamen omnium ordinum con-  
 sensus, gratiarum actio, gratulatioq; me cõmouet:  
 propterea, quod popularẽ me esse in populi salute,  
 præclarum est. Sed hæc te malo ab alijs audire. Me  
 uelim de tuis rebus consilijsq; facias diligentissimẽ  
 certiozem: illudq; consideres, ne tua liberalitas dis-  
 solutior uideatur. Sic sentit Senatus, sic populus R.  
 nullos unquam hostes digniores omni supplicio fu-  
 isse, quàm eos ciueis, qui hoc bello contra patriam  
 arma ceperunt: quos quidem ego omnibus sententijs  
 ulciscor, & persequor, omnibus bonis approbanti-  
 bus. Tu quid de hac re sentias, tui iudicij est. Ego  
 sic sentio, trium fratrum unã & eandem esse causã  
 sam. Consules duos, bonos quidem, sed duntaxat bo-  
 nos amisimus. Hirtius quidem in ipsa uictoria occi-  
 dit, cum paucis diebus magno proelio antè uicisset.



LIBER

Nam Pansa fugerat uulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur, & Cæsar. Hostes autem omnes iudicati, qui M. Antonij sectam secuti sunt. Atq; id Senatusconsultum pleriq; interpretantur etiam ad tuos, siue captiuos, siue dedititios pertinere. Equidem nihil dissensuri durius, cum nominatim de C. Antonio decernerem, quod ita statueram à te cognoscere causam eius Senatum oportere. X. Kal. Maij.

M. BRVTVS M. T. CICERONI S.P.D. 4.

**Q**uanta sim lætitia affectus, cognitis rebus Bruti nostri, & Consulum, facilius est tibi existimare, quam mihi scribere: cum alia laudo & gaudeo accidisse, tum quod Bruti eruptio non solum ipsi salutaris fuit, sed etiam maximo ad uictoriam adiumento. Quòd scribis, trium Antoniorum unam atq; eandem causam esse, quid ego sentiam mei iudicij esse, statuo nihil: nisi hoc, Senatus, aut P. R. iudicium esse de ijs ciuibus, qui pugnantes non interierint. At hoc ipsum, inquires, iniquè facis, qui hostilis animi in Remp. homines, ciues appelles: imò iustissimè. Quod enim nondum Senatus censuit, nec populus R. iussit, id arroganter non præiudico, neq; reuoco ad arbitrium meum. Illud quidem non muto, quòd ei, quem me occidere res non cœgit, neq; crudeliter quicquã eripui, neq; dissolutè quicquam remisit, habuiq; in mea potestate, quòad bel-

leam iuita



TERTIVS.

lum fuit. multo quidem honestius iudico, magisq;  
 quod concedere possit Resp. miserorum fortunam  
 non insectari, quã infinita tribuere potentibus, quæ  
 cupiditatem & arrogantiam incendere possint. Quæ  
 in re, Cicero uir optime, ac fortissimè, mihiq; meri-  
 to & meo nomine & Reip. carissime, nimis crede-  
 re uideris spei tuæ, statimq; ut quisq; aliquid rectè  
 fecerit, omnia dare ac permittere, quasi non liceat  
 traduci ad mala consilia corruptum largitionibus  
 animum. Quæ tua est humanitas, æquo animo te mo-  
 neri patieris, præsertim de communi salute: facies  
 tamen quod tibi uisum fuerit: etiam ego, cum me do-  
 cueris. Nunc Cicero, nunc agendum est, ne frustra  
 oppressum esse Antonium gauisi simus: neu semper  
 primi cuiusq; mali excidendi causa sit, ut aliud re-  
 nascatur illo peius. Nihil iam neq; opinantibus, aut  
 patientibus nobis aduersi euenire potest: in quo nõ  
 cum omnium culpa, tum præcipuè tua futura sit,  
 cuius tantam auctoritatem Senatus ac populus Ro.  
 non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta ma-  
 xima in libera ciuitate unius esse potest: quam tu  
 non solum benè sentiendo, sed etiam prudenter tue-  
 ri debes. Prudentia porro, quæ tibi superest, nulla  
 abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honori-  
 bus. Alia omnia sic abundè adsunt, ut cum quolibet  
 antiquorum comparari possint tuæ uirtutes. Vnum  
 hoc grato animo, liberaliq; profectũ, cautiorem ac



L I B E R

moderatiorem liberalitatem desiderat. Nihil enim Senatus cuiquam dare debet, quod male cogitantibus exemplo, aut presidio sit. Itaque timeo de Consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis tuis, quam inde si Consul factus sit, descendurum. Quod si Antonius ab alio relictum regni instrumentum occasionem regnandi habuit, quo nam animo fore putas, si quis auctore non tyranno interfecto, sed ipso Senatu putat se imperia quælibet concupiscere posse? Quare tum et facilitatem, et providentiam laudabo tuam, cum exploratum habere cepero, Cæsarem honoribus, quos acceperit, extraordinarijs fore contentum. Alienæ igitur, inquires, culpæ me reum facies? prorsus alienæ, si provideri potuit, ne existeret. quod utinam inspicere possis timorem de illo meum. His litteris scriptis, te Consulem factum audiimus. Tum uerò incipiam proponere mihi Remp. iustam, et iam suis nitentibus uiribus, si istuc uidero. Filius ualet, et in Macedoniam cum equitatu præmissus est. Id. Mart. ex castris

TVLL. et CIC. TIRONI SVO S.P.D. 16.9.

**N**Os à te ut scis, discessimus a. d. quartum Nonas Nouemb. Leucadem uenimus ad octauum Idus Nouemb. a. d. septimum Actium. ibi propter tempestatem ad sextum Idus morati sumus. Inde a. d. quintum Idus Corcyram bellissimè nauigauimus: Corcyræ fuimus usque ad XVI. Kal. Decemb. tempesta



TERTIVS.

tempestatibus retenti. a. d. XV. Kal. a portu Corcyraeorum ad Cassiopen stadia CXX. processimus. Ibi retenti uentis sumus usq; ad IX Kal. Anterea qui cupidè profecti sunt, multi naufragia fecerunt: nos eo die cœnati soluimus. Inde austro lenissimo, cælo sereno, nocte illa, & die postero in Italiam ad Hydruntem ludibundi peruenimus: eodemq; uento postridiè, (id erat a. d. VII. Kal. Decemb.) hora quarta Brundisium uenimus: eodemq; tempore simul nobiscum in oppidum introijt Terentia, quæ te facit plurimi. A. d. quintum Kal. Decemb. seruus Cn. Plancij Brundisij tandem aliquando mihi à te expectatissimas litteras reddidit, datas Idib. Nouemb. quæ me molestia ualde leuarunt: utinã omnino liberaissent. Sed tamen Asclapo medicus planè confirmat propediem te ualentem fore. Nunc quidem ego te hortor, ut omnem diligentiam adhibeas ad conualescendum: tuam prudentiam, temperantiã, amorem erga me noui. Scio te omnia facturum, ut nobiscum quàm primum sis. Sed tamen ita uelim, ut ne quid properes. Symphoniam Lysonis uelim uitasses, ne in quartam hebdomadam incideres. sed quando pudori tuo maluisti obsequi, quàm ualetudini, reliqua cura. Curio misi, ut medico honos haberetur, & tibi daret, quod opus esset: me cui iussisset, curaturum. equum & mulum Brundisij tibi reliqui. Romæ uereor ne ex Kal. Ianuar. magni tumultus sint. Nos

F 4 agemus



## LIBER

agemus omnia modicè. Reliquum est, ut te hoc ro-  
gem, & à te petam, ne temerè nauiges. Solent nau-  
te festinare quæstus sui causa. Cautus sis mi Tiro.  
Mare magnum & difficile tibi restat. Si poteris cū  
Mescinio (cautè is solet nauigare) si minus, cum ho-  
nesto aliquo homine, cuius auctoritate nauicularia  
us moueatur. In hoc omnem diligentiam si adhibue-  
ris, teq; nobis incolumen præstiteris, omnia à  
te habebō. Etiam atq; etiam noster Tiro  
uale. Medico, Curio, Lysoni de  
te scripsi diligentissimè.  
Vale, Salue.

FINIS.

*Handwritten signature and date: 1783 6 6*







II/64. 4.30